

teresse [id] quod testator senserit : nam et locum significari bibliothecam : eo alias armarium [sicuti dicimus, eboram bibliothecam emit] alias libros [sicuti dicimus, bibliothecam emisse.] Quod igitur scribit Sabinus, libros bibliothecam non sequi, non per omnia verum est : nam interdum armaria quoque debentur, quae plerique *bibliothecas* appellant. Plane si mihi proponas adhaerentia esse membro armaria, vel adixa : sine dubio non debentur, cum aedificii portio sint. — § 8. Quod in bibliotheca tractavimus, idem Pomponius libr. 6 ex Sabino in *dactylothea* legata tractat : et ait, anulos quoque contineri, non solum thecam, quae anulorum causa parata sit ; hoc autem ex eo conjectat, quod ita proponitur quis legasse, *Dactylotheam meam, et si quos praeterea anulos habeo* : et ita Labeonem quoque existimasse ait. — § 9. Sunt tamen quaedam, quae omnimodo legatum sequuntur, ut *lectum* legatum contineat et fulcra : et *armariis et loculis* claustra et claves cedunt.

55. PAULUS, [lib. 4, ad Sabinum].

Argento legato, constat arculas ad legatarium non pertinere. — § 1. Item *anulis* legati dactylotheae non cedunt.

54. POMONIUS, [lib. 7, ad Sabinum].

Si pure tibi legavero, deinde postea scripsero ita, *Hoc amplius, si navis ex Asia venerit, heres meus ei fundum dato* : verius est, eo verbo amplius superiora repeti. Sicuti dicimus, *Lucius Titius plebi quina milia dedit, hoc amplius Seius viscerationem* : quina quoque milia Seium dedisse intellegimus. Et, *Titius accepit quinque, Seius hoc amplius fundum* : Seium quinque quoque cepisse intellegimus.

55. ULPIANUS, [lib. 28, ad Sabinum].

Ligni appellatio nomen generale est : sed sic separatur, ut sit aliquid materia, aliquid lignum. *Materia* est, quae ad aedificandum, fulciendum, necessaria est : *lignum*, quidquid comburendi causa paratum est. Sed utrum ita demum, si concisum sit, an et si non sit? et Quintus Mucius libr. 2 refert, si cui ligna legata essent, quae in fundo erant, arbores quidem materiae causa succisas non deberi : nec adiecti, si [non] comburendi gratia succisae sunt, ad eum pertinere : sed sic intelligi consequens est. — § 1. Otilius quoque libr. 5 juris partiti ita scripsit : cui ligna legata sunt, ad eum [omnia] ligna pertinere, quae alio nomine non appellantur : veluti virgae, carbones, nuclei olivarum, quibus ad nullam aliam rem nisi ad comburendum possit uti : sed et balani²⁴, vel si qui alii nuclei. — § 2. Idem libr. 2 negat, arbores nondum concisas, nisi quae minutatim conciduntur, videri ei legatas, cui *ligna* legata sunt : ego autem arbitror, hoc quoque ligni appellatione contineri, quod nondum minutatim fuit concisum, si jam concidendo fuit destinatum ; proinde si sylvam huius rei habebat destinatum, sylvam quidem non cedet, dejecta autem arbores lignorum appellatione continebuntur, nisi aliud testator sensit. — § 3. *Lignis* autem legatis, quod comburendi causa paratum est, continetur : sive ad balnei calefactionem, sive diaetarum hypocaustarum, sive ad caleem, vel ad aliam rem coquendam solebat uti. — § 4. Otilius libr. 5 juris partiti scripsit, nec sarmenta *ligni* appellatione contineri : sed (si voluntas non refragatur) et virgulae, et gremia, et sarmenta, et superamenta, materiarum, et vitium stirpes, atque radices continebantur. — § 5. *Lignorum* appellatione in quibusdam regionibus, (ut in Aegypto, ubi arundine pro ligno utuntur, et arundines, et papyrus comburitur) et herbulae quaedam, vel spinae, vel vepres continebantur. Quid mirum? cum *ξύλων*, id est, *lignum*, hoc, et naves *ξύλωνας*, id est, *lignorum vectrices*, appellant, quae haec *ἀπό τῶν ἔδων*, id est, *a paludibus*, deducunt. — § 6. In quibusdam provinciis, et edita bubum ad hanc rem utuntur. — § 7. Si lignum²⁵ sit paratum ad carbones coquendas atque conficiendas : ait Otilius libr. 5 juris partiti, *carbonum* appellatione huiusmodi materiam non contineri. Sed an *lignorum*? et fortassis quis dicet, nec lignorum : non enim lignorum gratia haec testator habuit. Sed et titiones, et alia ligna cocta ne fumum faciant, utrum ligno, an carboni, an suo generi adnumerabimus? Et magis est, ut proprium genus habeatur. — § 8. Sulphurata²⁶ quoque de ligno aequae eandem habebunt definitionem. — § 9. Ad faces²⁷ quoque parata, non erunt lignorum appellatione comprehensa : nisi haec fuit voluntas. — § 10. De pinu²⁸ autem integri strobili, ligni appellatione continebantur.

56. PAULUS, [lib. 4, ad Sabinum].

Pali²⁹ et perticae in numero *materiae* redigendi sunt : et ideo lignorum appellatione non continentur.

20. L. 16, § 2, infr. de annuis legat. — L. 5, infr. de dote praegat. — 21. L. 167, in fin. infr. de verb. sign. — 22. d. L. 167, — 23. d. L. 167, — 24. d. L. 167, — 25. d. L. 167, — 26. L. 168, infr. de verb. sign. — 27. L. 88, § 1, infr. h. t. — 28. L. 44, § 1; L. 84, § 7, supr. de legat. 1; L. 5, § 1, infr. de liberat. legat.; L. 18, § 1; L. 28, infr. de mort. caus. donat. — 29. L. 4, infr. de verb. sign. — 30. L. 65, in fin. infr. h. t. — 31. L. 99, in pr. infr. eod.

57. POMONIUS, [lib. 30, ad Sabinum].

Servius respondit, cui *omnis materia*²⁷ legata sit, ei nec arcem, nec armarium legatum esse.

58. ULPIANUS, [lib. 4 Disputationum].

Cum uxori suae quis *ea, quae ejus causa parata sunt*, legasset, deinde virus purpuras comparasset in provincia, necdum tamen advexisset : rescriptum est, ad mulierem purpuras pertinere.

59. JULIANUS, lib. 34 Digestorum.

Qui *chirographum*²⁸ legat, non tantum de tabulis cogitat, sed etiam de actionibus, quarum probatio tabulis continetur : appellatione enim chirographi uti nos pro ipsis actionibus, palam est : cum venditis chirographis intellegimus nomen venisse : quin etiam si *nomen*²⁹ quis legaverit, id, quod in actionibus est, legatum intelligitur.

60. ALFENUS, lib. 2 Digestorum a Paulo epitomatorum.

Cum quaereretur, *agni*³⁰ legati quatenus viderentur, quidam aiebant, agrum duntaxat sex mensium ; sed verius est, eos legatos esse, qui minores anniculi essent. — § 1. *Servis et ancillis urbanis legatis*, agasorem, mulionem, legato non contineri respondi : eos enim solos [in] eo numero haberi, quos paterfamilias circum³¹ se ipse sui cultus causa haberet. — § 2. *Lana, lino, purpura uxori legatis, quae ejus causa parata essent*, cum multam lanam, et omnis generis reliquisset, quaerebatur an omnis deberetur? Respondit, si nihil ex ea destinasset ad usum uxoris, sed omnis commixta esset, non dissimilem esse deliberationem, cum penus legata esset, et multas res, quae penus essent, reliquisset, ex quibus paterfamilias vendere solitus³² esset : nam si vina diffudisset, habiturus usioni ipse, et heres ejus, tamen omnia in penu existimari : sed cum probaretur, eum, qui testamentum fecisset, partem penus vendere solitum esse, constitutum esse, ut ex eo, quod ad annum opus esset, heredes legatario darent. Sic mihi placet et in lana fieri : ut ex ea, quod ad usum annuum mulieris satis esset [ea] sumeret ; non enim deducto eo quod ad viri usum opus esset, reliquum uxori legatum esset : sed quod uxoris causa paratum esset. — § 3. *Prædiis legatis, et quae eorum prædiorum colendorum causa empti, parataque essent*, neque topiarium, neque saltuarium legatum videri ait : topiarium enim ornandi, saltuarium autem tuendi³³ et custodiendi fundi magis, quam colendi, paratum esse ; asinum machinarium legatum videri : item oves³⁴, quae stercorandi fundi causa pararentur : item upilionem, si ejus generis oves curaret.

61. Idem, [lib. 8 Digestorum a Paulo epitomatorum].

Textoribus omnibus, qui sui essent cum moreretur, legatis : quaesitum est, an et is, quem postea ex his ostiarum fecisset, legato contineretur? Respondit, contineri : non enim ad aliud artificium, sed ad alium usum transductam esse.

62. JULIANUS, [lib. singul. de Ambiguitatibus].

Qui duos mulos habebat, ita legavit : *Mulos duos, qui mei erunt, cum moriar, Seio heres dato*. Idem nullos mulos, sed duas mulas reliquerat. Respondit Servius, deberi legatum : quia *mulorum* appellatione etiam mulae continentur : quemadmodum appellatione *servorum* etiam³⁵ servae plerumque continentur. Id autem eo venit, quod semper sexus masculinus [etiam] femininum [sexum] continet.

63. Idem, [lib. 1, ad Urseium Ferocem].

In repetundis legatis haec verba quae adijci solent ; *item dare damnas esto* : et ad conditiones, et ad dies legatorum eandem repetendas referri, Sabinus respondit.

64. AFRICANUS, lib. 6 Questionum.

Qui filium et nepotem heredem instituerat, certa praedia, quaeque in his mortis tempore sua essent, nepoti per fideicommissum dederat *excepto kalendario* : mortis tempore in ea aera, in qua instrumenta et cautiones debitorum erant, pecunia numerata inventa est. Plerisque videbatur, vix vero simile esse, ut testator de pecunia numerata sensisset. Ego autem illud dignum animadversione existimabam, cum quis kalendarium³⁶ praestari alicui voluerit, utrumne nomina duntaxat debitorum praestari voluisse intelligendus est, an vero etiam pecuniam, si qua ab his exacta, eidem tamen kalendario destinata fuerit? Et magis puto : quemadmodum si exacta pecunia, et rursus collocata essent, permutatio nominum non perimeret vel minueret fideicommissum : ita ipsae quoque pecuniae,

L. 12, infr. de supplect. legat.; L. 166, in pr. infr. de verb. sign. — 32. L. 4, § 2, infr. de penu legat. — 33. L. 16, § 1, supr. de usu et habitatione; L. 12, § 4, infr. de instructo et instrumento legat. — 34. L. 9, infr. d. t. de instruct. — 35. L. 81, in pr. infr. h. t.; L. 101, § 2, infr. h. t.; L. 195, in pr. infr. de verb. sign. — 36. L. 34, § 1, supr. h. t.; L. 88, in pr. supr. de legat. 2.

si *re tantum conjunctus sit*, constat non esse potiozem. Si vero *verbis quidem conjunctus sit, re autem non* : quaestionis est, an conjunctus potior sit? et magis est ut [et] ipse praefereat.

90. Idem, lib. 7, ad legem Juliam et Papiam.

*Nominatim*³⁸ legatum accipiendum est, quod a quo legatum sit, intelligitur : licet nomen pronunciatum sit.

91. PAPIANUS, lib. 7 Responsorum.

Prædiis per praceptionem filiae datis *cum reliquis actorum et colorum*, ea reliqua videntur legata, quae de ritu prædiorum in eadem causa manserunt : alioquin pecuniam a colonis exactam, et in kalendarium in eadem regione versam, *reliquis* non contineri, neque colorum, neque actorum, facile constabit, tametsi nominatim actores ad filiam pertinere voluit. — § 1. Ex his verbis, *Lucio Titio praedia mea illa cum praetorio, sicut³⁹ a me in diem mortis meae possessa sunt, do*, instrumentum rusticum, et omnia, quae ibi fuerunt, quo domus fuisset instructor, deberi convenit : colorum reliqua non debentur. — § 2. Pater filio *tabernam purpurariam cum servis institoribus et purpura, quae in diem mortis ejus ibi fuerunt*, legavit : neque pretia purpurae condita, neque⁴⁰ debita, neque reliqua legato contineri placuit. — § 3. *Titio Seiana praedia, sicuti comparata sunt, do, lego* : cum essent Gabiniana quoque simul uno pretio comparata, non sufficere solum argumentum emptionis respondi, sed inspicendum, an literis et rationibus⁴¹ appellatione Seianorum Gabiana quoque continentur, et utriusque possessionis confusi⁴² redditus, titulo Seianorum accepto lati essent. — § 4. Balneae legate *domus* esse portionem constabat : quod si eas publice praebuit, ita domus esse portionem balneae, si per domum quoque intrinsecus adirentur, et in usu patrisfamiliae vel uxoris nonnunquam fuerunt, et mercedes ejus inter ceteras meritoriorum domus rationibus accepto ferrebantur, et uno pretio comparate vel instructa communi conjuncto fuissent. — § 5. Qui domum possidebat, hortum vicinum aedibus comparavit, ac postea domum legavit : si hortum domus causa comparavit, ut amcenorem domum ac salubriorem possideret, aditumque in eum per domum habuit, et aedium hortus additamentum fuit, domus legato continebatur. — § 6. Appellatione *domus* insulam quoque injunctam domui videri, si uno pretio cum domu fuisset comparata, et utriusque pensiones similiter accepto latas rationibus ostenderetur.

92. PAULUS, lib. 13 Responsorum.

Si mihi Maevia et Nigidia filiae meae heredes erunt, tunc Maevia e medio sumito, praecipio sibi quae habeo fundos meos illum et illum cum casulis, et custodiibus omnium horum fundorum, et cum his omnibus agris, qui ad conjunctionem cujusque eorum fundorum emptione, vel quolibet alio casu obtigerint : item cum omnibus mancipiis, pecoribus, jumentis, ceterisque universis speciebus, quae in³⁵ istisdem fundis, quoque eorum, cum moriar, erunt : uti optima maximeque sunt, utique eos in diem mortis meae possedi, et (ut plenius dicam) uti uti cluduntur : in fundo autem uno ex his qui praegrati sunt, tabularium est, in quo sunt et complurium mancipiorum emptiones, sed et fundorum et variorum contractuum instrumenta, praeterea et nomina debitorum : quero, an instrumenta communia sint? Respondi, secundum ea, quae proponuntur, instrumenta emptionum, item debitorum, quae in fundo praegrato remanserunt, non³⁴ videri legato contineri. — § 1. His verbis domibus legatis, *fidei heredum meorum committo, uti sinant eum habere domus meas, in quibus habito, nullo omnino excepto, cum omni instrumento, et repositis omnibus*, non videri testatorem de pecunia numerata, aut instrumentis debitorum sensisse.

93. SCEVOLA, [lib. 3 Responsorum].

Lucius Titius testamento suo cavet, *ne ullo modo praedium suburbanum aut domum heres alienaret* : filia ejus heres scripta heredem reliquit filiam suam : quae eandem res dui possedit, et decedens extraneos heredes instituit. Quaesitum est, an praedia pertinerent ad Juliam, quae Lucium Titium testatorem patrum majorem habuit? Respondi, nihil proponi contra voluntatem defuncti factum, quo minus ad heredem pertineret, cum hoc nudum³⁷ praecipitum est. — § 1. *Sempronia mulieri meae reddi jubeo ab heredibus meis centum aureos, quos mutuos acceperam*. Quaesitum est, si hanc pecuniam, ut debitam Sempronia petens³⁶ victa sit : an fideicommissum peti possit? Respondit secundum ea, quae proponerentur, posse ex causa fideicommissi peti, quod apparisset non fuisse ex alia causa debitum. — § 2. Quidam praedia legavit

88. L. 34, in pr. infr. de condit. et demonstr. — 89. L. 20, in fin. infr. de instruct. vel instrum. legat. — 90. L. 86, in pr. supr. de legat. 2. — 91. L. 1, infr. de reb. dub. — 92. L. 10, § 7, infr. de instruct. vel instrum. legat. — 93. L. 41, § 6, in fin.; L. 78, § 1; L. 91, § 2, supr. h. t.; L. 26, pr. supr. de legat. 2; L. 12, § 45; L. 19, in fin. infr. de instruct. vel instrum. legat.

libertis, adjectis his verbis, *uti a me possessa sunt, et quaecunque ibi erunt cum moriar*. Quaesitum est, an mancipia quae in his praediis morata in diem mortis patrisfamilias fuerunt operis rustici causa, vel alterius officii, caeteraque res, quae ibi fuerunt, ad legatarios pertineant? Respondit, pertinere. — § 3. Quaesitum est, an, quod heredes fratris rogati essent restituere, etiam ad sorores pertineret? Respondit, pertinere, nisi aliud sensisse testatorem probetur. — § 4. Collegio fabrorum *fundum cum sylvis, quae ei cedere solent, uti optimus maximusque esset*, legavit : quero, an ea quoque quae in diem mortis ibi fuissent, (id est, fenum, pabulum, palea, item machinae, vasa vinaria, id est, cuppe, et dolia quae in cella defixa sunt : item granaria) legata essent. Respondit, non recte peti quod legatum non esset. — § 5. Ex³⁷ parte dimidia herede instituto, per praceptionem fundum legavit, et ab eo ita petiit : *Peto uti velis coheredem tibi recipere in fundo Juliano meo, quem amplius te recipere jussi, Clodium Verum, nepotem meum, cognatum tuum*. Quero, an pars fundi ex causa fideicommissi nepoti deberetur? Respondit, deberi.

94. VALENS, [lib. 2 Fideicommissorum.]

Is, qui complures libertos relinquebat, tribus ex his fundum legaverat : et petierat, *ut curarent, ne de nomine suo exiret*. Quaerebat, ex tribus qui primus moriebatur, utrum utriusque, vel alteri ex his, qui sibi in legato conjuncti essent, relinquere partem suam deberet : an possit vel alii conliberto suo eam relinquere? Placuit, etsi voluntatis quaestio esset, satis illum facturum, etsi alii reliquisset. Quod si nulli dedisset : occupantis, an omnium conlibertorum ; et num eorum tantum, quibus pariter legatum esset, petitio fideicommissi esset, dubitatur? et Julianus recte omnibus debere putavit.

95. MACIANUS, lib. 2 Fideicommissorum.

Quisquis mihi heres erit, damnas esto dare, fideique ejus committo, uti det quantas summas dictavero, dedero : Aristo res quoque corporales contineri ait, ut praedia, mancipia, vestem, argentum : quia et hoc verbum *quantas* non ad numeratam duntaxat pecuniam refertur, ex dotis relegatione, et stipulationibus emptae hereditatis apparet ; et *summae* appellatio similiter accipi debet, ut in his argumentis, quae relata essent, ostenditur ; voluntatem praeterea defuncti, quae maxime in fideicommissis valeret, ei sententiae suffragari : neque enim post eam praefationem adjecturum testatorem fuisse res corporales, si duntaxat pecuniam numeratam praestari voluisset.

96. GAIUS, lib. 2 Fideicommissorum.

Si Titius ex parte heres rogatus sit *Maevia hereditatem restituere, et rursus Titio coheres ejus rogatus sit partem suam, aut partis partem restituere* : an hanc quoque partem, quam a coherede ex fideicommissio recipit, Titius restituere Maevio debeat, divus Antoninus consultus, respiciit, non³⁸ debere restituere : quia *hereditatis* appellatione, neque legata neque fideicommissa continentur.

97. PAULUS, lib. 2 Decretorum.

Osidius quidam, instituta filia Valeriana herede, actori suo Antiocho data libertate, *praedia certa et peculium et reliqua relegaverat, tam sua, quam colonorum* : legatarius proferebat, manu patrisfamiliae reliquatum, [et] tam suo, quam colonorum nomine : item in eadem scriptura adjectum in hunc modum, *item quorum rationem reddere debeat, scilicet quae in condito habuerat paterfamiliae, frumenti, vini, et caeterarum rerum*, quae et ipsa libertus petebat, et ex reliquis esse dicebat, et apud praesidem obtinuerat : ex diverso cum diceretur, reliqua colonorum ab eo non peti, nec propria ; diversam autem causam esse eorum, quae in condito essent : imperator interrogavit partem legatarii, quaerendi causa : pone, inquit, in condito centies aureorum esse, quae in usum sumi solerent, dices totum, quod esset relictum in aera, deberi? et placuit, recte appellasse. A parte legatarii suggestum est, quaedam a colonis post mortem patrisfamiliae exacta : respondit, hoc quod post mortem exactum fuisset, reddendum esse legatario.

98. Idem, libro singulari de forma Testamenti

Si plures gradus sint heredum, et scriptum sit, *heres meus dato* : ad omnes gradus hic sermo pertinet : sicuti haec verba, *quisquis mihi heres erit*. Itaque si quis velit non omnes heredes legatorum praestatione onerare, sed aliquos ex his, nominatim damnare debet.

99. Idem, libro singulari de Instrumenti significatione.

Servis urbanis legatis, quidam urbana mancipia non³⁹ loco sed opere

legat. — 94. *Inno vide* L. 27, § 3, in fin. infr. d. t. de instruct. — 95. L. 38, § 4, supr. h. t. — 96. L. 28, in fin. infr. de liberat. legat. — 97. L. 38, in fin. supr. h. t. — 98. *Inno vide* L. 16, C. de fideicom. — 99. L. 12, infr. de supplect. legat.; L. 166, in pr. infr. de verb. sign.